

de patre dicit, illud est: Cum princeps esset publicanorum Cn. Plancii pater et societas eadem in exercendis vectigalibus gravissimo damno videretur adfecta, desideratum est in senatu nomine publicanorum, ut cum iis ratio putaretur lege Sempronia et remissionis tantum fieret de summa pecuniae, quantum aequitas postularet, pro quantitate damnorum, quibus fuerant hostili incursione vexati. Adfuit igitur Caesar causae publicanorum eorumque desideriis: contradixit pro vigore duritiae suae M. Cato et diem totum prolixitate orationis suae occupavit, ut senatus decernendi spatium non haberet. Id tempus ergo Laterensis denotaverat invidiosum Plancio esse debuisse, quominus fieret aedilis, quando pater eius quaedam liberius et exertius adversus quosdam primores senatus in publicanorum allegatione dixisset. Id revocat orator . . . *<ad>* defensionem, licuisse dicens unicuique de suis iniuriis libere conqueri.

Ego publicanorum in Q. Scaevolam, virum § 33. omnibus ingenio, iustitia, integritate praestantem, aspere et ferociter dicta commemorem? Consuli P. Nasicae praeco Granius medio in foro, cum ille edicto iustitio domum decedens rogasset Granium, quid tristis esset; an quod reiectae auctiones essent: 'Immo vero', inquit, 'quod legationes!'

... Potentissime ab exemplis qualitas absoluta firmatur: licuisse Plancio seniori quaedam liberius dicere pro societate publicanorum, qui etiam in Q. Scaevolam, omni virtute praestantissimum virum, fiduciam suae libertatis